

<[sida 6](#)> supra vulgus sapiunt; in solvendis quæstionibus populi ancipites; in controversiis componendis dubii, in ferendis legibus parum providi. Itaque leges latæ post unum alterumve mensem abrogantur ab illis ipsis, qui tulerunt legem.

Philosophia majorum magis erat popularis quam hodierna, magis ad usum et captum hominum accommodata, in variis casibus dubiis reipublicæ et civitatis utilis, ad solvendas quætiones populi idonea. At hodierna ab imis ad astra, super omnem captum populi volitans, rempublicam deseruit orbam, gravissimas quætiones vitæ et necis ne digito quidem tangens; studium humani generis, necessarium omnibus rempublicam gerentibus penitus prætermittens. Itaque illi, qui reipublicæ præosse debent, quos svadere regi consiliaque dare oportet, opiniones, consuetudines et desideria populi ignorantes, perversis mediis utuntur ad sedandos levissimos motus. Hinc errore et ignorantia consulentium factum est, quod postea apparuit, ut in proximo hocce tumultu, quem neminem vestrum ignorare putamus, cuius deplorandum eventum in proximis hisce comitiis omnes vidistis, cum turbas dare cæperit vulgus in armis et militibus quæreretur præsidium unicum, ubi opus erat consilio et speculatoribus. Postea vero, cum antea acriter in eos animadversum fuerit, qui per diaria mendacia spargunt, animosque hominum incitare solent, ut ipsi dominantur, ex summa severitate in lassitudinem atque remissionem reciderunt. Quasi vero civitas, acceptis vulneribus saucia, enervata voluptatibus, effrenata cupiditatibus, profligatis virtutibus, religione ac fide exsulantibus, sanari posset remediis remittentibus et sera poenitentia facti. <[sida 7](#)> Dixit olim Timoleon, qvod a Cornelio Nepote magistro nostro familiari memoriæ proditum legimus, cum expulsis tyrannis, civitatem Syracusarum liberasset, et Dæmenetus quidam in concione populi rebus ejus detrahere caepisset, ac nonnulla invehernetur in Timoleonta: *tum demum se voti esse damnatum; namque hoc a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet impune dicere.* Verum in nostra civitate, ut multos habemus Dæmenetos, ita paucos habemus Timoleontas. Atque hæc ipsa res præcipuam libertatis partem in omnibus civitatibus liberis constituere videtur, scilicet: *ut liceat cuivis, de quo et quidquid voluerit, impune dicere:* ac ne hoc carissimo jure privaretur populus, etiam lege præcautum est.

Est autem vitium omnium barbarorum, quod illis commune cum quibusdam feris bestiis esse videtur, ut, cum non possint mordere, latrent; cum non possint discerpere, ululent; et cum non possint devorare strident dentibus.

Oportet quidem Principem divum et generosum invectio[n]es spernere perditionum hominum, non quod auctorati[e] ejus nocere non possint, sed quia omnes, qui bestiarum natura imbuti sunt, naturali quodam instinctu infecti sunt in eos, quos erectos incedere vident. Quis autem a Principis persona postulare aut etiam exspectare poterit, ut ille solus omnium sibi

illatas injurias æquo animo ferat; quod nec philosophus quisquam in corrupta civitate præstare poterit tantam animi constantiam. Habemus quidem exemplum nobile Davidis, qui invectivam Simei non modo æquo animo tulit, sed etiam condonavit;